

V. *Narratio de Erucarum & Locustarum, quæ agros Vitembergæ vicinos aliquot abhinc Annis vastarunt, interitu, Auctore Joh. Frid. Weidlero, R. S. S.*

EX observationibus singularibus Anni 1732, commemoratione dignum est exitium erucarum & locustarum, quæ abhinc pluribus annis, in boreali circuli Saxonici tractu, in Marchia Brandenburgica & Lusatia, & forsan aliis quoque in locis, fruges miserandum in modum depaverunt. Utrumque insecti genus Vere Anni 1732, incredibili multitudine ex feminibus suis exclusum prodibat. Erucæ mox folia tam sylvestrium quam frugiferarum arborum, multis in locis tantum non omnia exedebant; locustæ quoque maxima, quæ præterlapsis Annis dederant, damna frugibus iterum minabantur. Itaque ruricolæ foveas passim laboriosissime facere, & locustas, nondum sat validis ad avolandum alis instructas in eas congregare, easque injecta terra obruere atque interficere coeperunt. Sed hæc pauperum colonorum solertia parum erat profutura, nisi optimi maximi numinis beneficio, tempestatis quibusdam incommodis hæc insecta sic fuissent fatigata atque enervata, ut omnia ineunte æstate, antequam semina nova potuissent deponere, brevi tempore perirent. Scilicet; postquam blandus solis calor, circa mensis Aprilis St. V. principium maturius utrumque insectum e nidis suis evocaverat, mox frigus aliquot noctium vehementius, e. g. d. 15, 16, 17, 18 Aprilis, St. V. tum quoque imbres frigidi largissimique, d. 22, Aprilis & 19 Maij, & deinceps etiam pluvix ferme quotidianæ copiosissimæque circa finem Maij, &

magna

magna parte mensis Junij & Julij sequebantur, hisque ex causis evenit, ut noxia hæc animalcula nec molis corporis sui, nec virium solita capere possent incrementa. Itaque erucæ & locustæ circa mensis Junij initium, exilia adhuc corpora, nec justam membrorum mensuram, in quam circa hoc anni tempus alias excreverant, habuerunt. Locustæ sigillatim, humoris quippe impatientes, ineunte mense Julio, mortuæ passim in agris repertæ sunt, plurimæque earum, quæ ne imbrium aquis mergerentur, in longiores herbarum florumque caules insilierant, iisdemque oribus firmiter adhæserant, ex his exanimis pependerunt. Hanc interitus locustarum non improbabilem esse causam, inde luculenter satis intelligitur, quia experientia docuit, hoc insecti genus agros tantum editiores & ficciores tenuisse ibidemque etiam nidulatum esse, valles autem humiles semper devitasse. De figura harum locustarum silendum non est, eas diversam præ se tulisse speciem a viridibus illis quæ quotannis, sed parvo numero in pratis agrisque confitis obviæ sunt. Capitis nempe & tergi color niger nonnullarum etiam griseus erat, qui punctis flavis interspersis tanquam maculis distinguebatur; Venter flavescebat, pedum posteriorum muscoli rubebant, & cum volarent, purpureum colorem referebant. Longitudo corporis plerarumque sesquipollicem non superabat, notavi tamen A. 1731, M. Augusto, adustas quasdam duobus pedis geom. digitis longiores. Eodem mense mas & foemina coibant, ovula plusquam triginta unus venter gelabat. Ovula posuere in foraminibus in terra factis, iisque matres immortalæ sunt, finiente mense Septembri. Narratum mihi est eas, cum primum ante qua-

quadriennium ex Polonia per Lusatiam & Marchiam huc appellerent, media æstate catervatim alte in aëre supra ædes turesque advolasse, ut eminus nubis speciem mentirentur. Quo confederunt loco, ibi terram omnem operuerunt, atque inde longe lateque diffusæ fuerunt. De damnis quæ perniciosissimum hoc insectum vicinis Vitembergæ campis editioribus, nam in ipsam vallem prope Vitembergam locustæ non penetrarunt, sed in collibus, qui 1500 circiter passibus geometricis ab hac urbe absunt, substiterunt, & inde ulterius versus Marchiam & Lusatiam processerunt, attulit, ni fallor, in excerptis observationum Anni 1731 retuli. Amabant supremas spicarum molliores cuspides, queis ut commodius fruerentur, totam spicam immaturam decerpebant, idque noctu inprimis fiebat. Una sæpe nocte plerasque integri jugeri spicas sic in terram prostratas a locustis fuisse fide digni viri mihi confirmarunt, quapropter nonnullis in pagis ne sementem quidem pauperes coloni ex agris suis collegerunt.

VI. *Clausula excerpta, ex Historiâ Variolarum quæ per Incisionem excitantur, ab E. Timoni, M. D. Scriptâ, R. S. Communicavit Sam. Horselman, M. D.*

FUIT primò nonnullus qui novaculâ cutim scindebat, eique Variolarum includeret tubercula exiccata, factâ desuper ligaturâ: Sed præter dolorem, qui tamen in pueris reluctantis multum difficultatis adfert, talis Operatio non benè successit.

Ali-